Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36565
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

resumpsit. nec triumphorum suorum amavit ornatus. illos estimans 66
esse meliores quibus vicia corporis. quam quibus hostium arma vincuntur.
Deinde una vidua tantum hoc opus imitabile aliis videatur inplesse.
plures alias ut pariles et proxime fuisse virtutis. nequaquam dubitan
dum videtur. Bona quoque seges plurimas spicas fructu refertas fer
re consuevit. nec dubites illam veterum segetem temporum in con
plurium feminarum moribus fecundasse. Sed quia plurium est com
plecti omnes. cognoscite alias. et precipue debboram. cuius nobis
prodidit scriptura virtutem. Hec enim docuit non solum viri auxilio
viduas non egere. verum etiam viris posse esse presidio. que non sexus
infirmitate revocata. munia virorum obeunda suscepit. et sus
cepta cumulavit. Denique iudei cum iudicum regerentur arbitrio.
quia viri non poterant ut equitate regi. ut virtute defendi. bel
lis hinc inde ardentibus; debboram sibi cuius regerentur iudicio
cooptarunt. Itaque multa milia virorum una vidua et in pace
rexit. et ab hoste defendit. Multi iudices in israel. sed nulla
ante iudex femina. multi iudices post iesum sed nullus propheta. Et
ideo lectum esse puto isti iudicum et gesta eius arbitror esse con
scripta. ne mulieres a virtutis officio muliebris sexus infirmi
tate revocentur. Vidua populos regit. vidua ducit exercitus.
vidua duces eligit. vidua bella disponit. mandat trium
phos. Non ergo natura rea est culpe. non infirmitati obnoxia. Stren
uos enim non sexus sed virtus facit. Et in pace quidem nulla
querimonia. nullus error mulieris invenitur. cum plerique non
mediocrium peccatorum auctores populo suo iudices extitissent.
Ubi vero chananei gens ferox prelio. et affluentium copiarum opima
successu. hostiles in populum iudeorum animos extulerunt. vidua
pre ceteris bellicos instruit apparatus. Et ut discas non publicis co
piis domesticas necessitates fuisse subnixas. sed domesticis
disciplinis munim publicum gubernatum. domo propria filium ducem
produxit exercitum. Ut agnoscatis quod possit instituere vidua